

# SPICILEGIUM HISTORICUM

## Congregationis SSmi Redemptoris

Annus VI

1958

Fasc. 2

---

A PIO XII

AD IOANNEM XXIII

Nec a luctu totius orbis ob inopinatum decessum Summi Pastoris PII XII, nec a gaudio itidem ob felicem electionem Successoris, IOANNIS XXIII, abfuit Congregatio SS.mi Redemptoris: eximium enim cultum erga Christi Vicarium, a S.o Patre nostro Alfonso in hereditatem acceptum et usque studiose servatum, inde a primo et maximo nostro benefactore Benedicto XIV (qui Congregationem nostram apostolica sua auctoritate roboravit), in omnes subsequentes Romanos Pontifices fideliter transtulimus.

Debitae gratitudinis causa pauca quaedam notabimus, quibus et demortui et recentis Summi Pontificis erga nostram Congregationem benevolentia vel coniunctio patefacta sunt. Ne tamen trita iterum teramus, verum vitae conspectum generalem duorum Pontificum non dabimus; dies memorabiles tantummodo et facta maiora indicemus.

## Eugenius Pacelli

PIUS XII

- 1876 2 III Dies nativitatís, Roma *Via Monte Giordano 34*, in regione *Ponte*.
- 1894 Post absolutum gymnasium-lyceum *Ennio Quirino Visconti*, Eugenius Collegium *Capranica* ingressus est, studia theologica apud Pont. Universitatem Gregorianam perficiens.
- 1899 1 IV (Sabb. Sanctum) Sacerdos ordinatus est, et  
2 IV (Pascha) primam Missam in basilica S.æ Mariæ Maioris dicit, in sacello « Paulino » seu « Borghese », ad aram B.æ Mariæ sub titulo « Salus populi Romani ».
- Eodem fere tempore, vel paulo postea, familia Pacelli habitationem suam transfert in regionem *Prati*, in *Via Boezio*, prope ecclesiam S.i Ioachim, quam Patres nostri inde ab an. 1898 regunt.
- Hic celebris P. Franciscus Pitocchi, tunc etiam Director spiritualis Seminarii romani, apostolatam peculiarem in confessionibus audiendis animabusque dirigendis exercebat, quem etiam pia mater Eugénii Pacelli aliique parentes frequentabant; sic etiam Eugenius P. em Pitocchi novit (de quo n. 22).
- 1901 Eugenius, laurea in sacra Theologia et in Iure canonico insignitus, mox Officialis (« Minutante ») S.æ Congregationis extraordinariis Ecclesiae negotiis pertractandis praepositae renuntiatur, et sacerdotale ministerium per quoddam tempus etiam in nostra ecclesia ad S.um Ioachim exercet.
- Cum vero P. Pitocchi, primum in domum romanam Monterone, et postea in collegium S.i Alfonsi in Esquilino monte translatus esset, multi qui eum Patrem spiritualem habebant, eum frequentare pergunt: in successivis sedibus; ita etiam in aedibus esquilinis « Monsignore » Pacelli quandoque visus est cellam P. is Pitocchi visitare. Ex his annis dictum quoddam traditur MRP. is Procuratoris gen. lis Schwarz, quod iuxta *Analecta* (1) sonabat: « Hic Praelatus postea erit Papa! », vel iuxta alios testes: « Questo Monsignore sarebbe un bel Papa ».
- 1917-1929 Eugenius muneribus extra Urbem functus est: Nuntius Apl. in München pro republica Bayern; 1920 Nuntius Apl. apud rempublicam germanicam, retinens sedem munusque in München; 1925 19 I munere in München reddito, in urbem principem Berlin se transfert.
- 1929 Eugenius Pacelli Cardinalis S.æ Romanae Ecclesiae creatur: 16 XI nuntius elevationis, 16 XII Concistorium.
- 1930 7 II Card. Pacelli renuntiatur Secretarius Status Suae Sanctitatis Pii XI.

- 1933 14 V Ultimo die triduanæ solemnitate ob memoriam bicentariam fundationis nostræ Congregationis in ecclesia S.i Alfonsi in Urbe grandem habet orationem et mox,
- 1933 2 VI a R.mo P.e Generali Patr. Murray Oblatus Congregationis renuntiatur (2).
- 1933 7 XII Explicitis litteris Card. Pacelli pro oblato sibi primo volumine editionis criticae operum asceticorum S.i Alfonsi P.i Generali gratias agens, pulchrum de S.o Patre nostro testimonium venerationis reddit (3).
- 1939 2 I Card. Pacelli « Votum » exhibet pro gratia concessionis S.o Alfonso tituli Patroni moralistarum (4).
- 1939 2 III Card. Eugenius Pacelli eligitur in Romanum Pontificem, et 12 III solemniter incoronatur, assumpto nomine Pii XII.
- 1940 24 VIII Card. Maglione, Secretarius Status, nomine Summi Pontificis, epistolam dirigit ad RP.em O. Gregorio, pro oblato libro *Contributi bio-bibliografici* (5).
- 1945 25 III (Dom. Palmarum) Publicatur, de mandato Sanctissimi, decretum S.æ Rituum Congregationis, quo definitur virtutes a Servo Dei P.e Petro Donders CSSR exercitatas heroicas fuisse, unde via paratur, post approbata miracula, ad eius Beatificationem(6).
- 1945 5 VII Publicantur Litterae Apl., quibus S. Alfonsus renuntiatur Patronus aequæ principalis dioeceseos de Agrigento (7).
- 1947 8 V Epistula ad Capitulum generale CSSR (8).
- 1949 28 X Publicantur Litterae Apl. quibus S. Gerardus Maiella renuntiatur Patronus aequæ principalis civitatis Corato (9).
- 1950 26 IV Publicantur Litterae Apl. quibus S. Alfonsus proclamatur Patronus Confessoriorum et Moralistarum (10).
- 1950 1 XI In Constitutione dogmatica, qua B. Maria V. declaratur anima et corpore in caelum assumpta, allegatur inter testimonia novi dogmatis S. Alfonsus: *Le glorie di Maria*, parte I disc. 1 (11).
- 1952 31 VIII Epistula Prosecretarii Status Ecc.mi Montini, de mandato Summi Pontificis, ad RP.em Telleria, qui per se ipse duo volumina suae biographiae S.i Alfonsi, eleganter religata, atque in capsis stemmate pontificio ornatis clausa, Pio XII in privata audientia offerre potuit (12).
- 1953 7 IV Epistula cum subscriptione autographa ad MRP.em Provinciale Vori, Prov. Romanae, propter editionem popularem operis S.i Alfonsi *Pratica di amar Gesù Cristo* (13).
- 1954 25 III In Litteris encyclicis « Sacra virginitas » allegatur etiam S. Alfonsus: *Pratica di amar Gesù Cristo*, cap. 17, nn. 7-16 (14).
- 1954 29 VII Epistula cum subscriptione autographa ad R.mum P.em Generalem Gaudreau propter librum RP.is Capone *Il Volto di Sant'Alfonso nei Ritratti e nell'Iconografia* (15).
- 1954 11 X In Litteris encyclicis « Ad Caeli Reginam » allegatur etiam S. Alfonsus: *Le glorie di Maria*, parte I, cap. I, § 1 (16).

- 1955 31 VIII In audientia publica, habita in Castelgandolfo, Summus Pontifex, cum inter innumeros pellegrinos etiam turma incolarum civitatis Pagani annuntiaretur, ubi S. Alfonsus sepultus est, eos, uti in his audientiis magis familiaribus solitus erat, allocutus est provocans quasi dialogum, hoc fere modo: « Vos estis e Pagani? » - « Utique! » - « Estote etiam pii devoti S. i Alfonsi qui tanto amavit Matrem Dei? » - « Utique! » - « Nobis etiam S. Alfonsus carissimus est, praecipue propter pia scripta, quibus animas corroborat. S. Alfonsus magnus est Sanctus et Ecclesiae Doctor; vos debetis eum multum colere! » (17).
- 1955 23 X Epistula Prosecretarii Status Ecc. mi Montini, de mandato Summi Pontificis, circa festa bicentennaria ob transitum S. i Gerardi Maiella, ad R. mum P. em Generalem Gaudreau (18). Sunt quidem etiam aliae litterae, nomine Summi Pontificis ad varios sodales nostros directae, maxime propter libros ab ipsis publicatos et Summo Pontifici oblatos (19).
- 1958 9 X Dies obitus Sancti Patris Pii XII, in arce Gandulphi (Castelgandolfo).

Quamquam episcoporum nominatio ordinarie per viam quasi administrativam, secundum regionum diversarum usus et regulas, fieri solet, ideoque non directe a Summo Pontifice pendet, tamen Ipse est, qui ultimo Suo consensu episcopale munus singulis electis tradit.

Sanctissimus ergo Dominus Pius XII septemdecim alfonsianos sodales ad episcopalem evexit dignitatem. Post eorum nomina indicamus provinciam (P.) vel Viceprovinciam (VP.), ex qua provenerunt (20).

- 1940 8 I Iosephus WEIMANN, P. Bonaërensium (Buenos Aires), Argentina. Episcopus residentialis *Santiago del Estero*, Argentina, prov. eiusdem nominis.
- 1942 24 VIII Ioannes Bapt. MUNIZ, P. de Rio de Janeiro, Brasile. Episcopus residentialis *Barra do Rio Grande*, Bahía, Brasile.
- 1943 2 I Gulielmus Tiburtius McCARTY, P. Baltimorensis, USA. Episcopus tit. Anaea in Asia prima, *Delegatus militaris*. - 1947 10 IV Coadiutor cum successione *Rapid City*, South Dakota, USA. - 1948 3 XI successit.
- 1943 14 VII Ioannes Bapt. CLAUDEL, P. Argentoratensis (Strasbourg), Francia. Episcopus tit. Antandrus in Asia prima, Vicarius Apl. *Reyes*, Alto Beni, Bolivia. - † 12 XII 1955.
- 1946 8 II Stephanus KUIJPERS, P. Hollandica, Nederland. Episcopus tit. Termessus in Pamphylia secunda, Vicarius Apl. *Surinam*, Guyana Hollandica. - 1958 14 VI Episcopus residentialis *Paramaribo*, propter erectionem Vicariatus Apl. Surinam in dioecesim Paramaribo.
- 1946 13 VI Antonius DEMETS, P. Belgica. Episcopus tit. Cadossia in Bithynia prima, Coadiutor cum successione *Roseau*, Insula Dominica, British West Indies. - 1954 28 X renunciavit.
- 1947 10 V Iacobus Eduardus McMANUS, P. Baltimorensis USA. Episcopus residentialis *Ponce*, Puerto Rico, USA.

- 1949 13 I Carolus M. JURGENS BYRNE, VP. de Lima, Perú  
Episcopus residentialis *Huancavelica*, Perú. - 1954 7 II Episcopus tit. Nisyrus in Insulis, *Vicarius castrensis*. - 1956 17 XII Archiepiscopus *Cuzco*, Perú.
- 1950 1 III Iosephus Clemens MAURER, P. Argentoratensis (Strasbourg), Francia.  
Episcopus tit. Cea in Hellade prima, Auxiliarius *La Paz*, Bolivia. - 1951 27 X Archiepiscopus *Sucre*, Bolivia.
- 1951 13 I Maximus HERMANIUK, VP. de Yorkton, Canada.  
Episcopus tit. Sinna in Proconsulari, Auxiliarius Exarchi Apl. *Winnipeg*, Manitoba, Canada. - 1956 3 XI Metropolita *Winnipeg*.
- 1952 16 VI Philippus LUSSIER, P. S. Annae Pulchriprati (St-Anne-de-Beaupré), Canada.  
Episcopus residentialis *Saint-Paul*, Alberta, Canada.
- 1952 9 VII Leonardus FEY, P. Argentoratensis (Strasbourg), Francia.  
Episcopus tit. Philadelphia in Isauria, Auxiliarius *Potosí*, Bolivia.
- 1955 20 VI Antonius MACEDO (FERREIRA de MACEDO), P. Sancti Pauli (São Paulo), Brasile.  
Episcopus tit. Attuda in Phrygia Pacatiana secunda, Auxiliarius *São Paulo*, Brasile.
- 1956 1 III Florentius CORONADO, VP. de Lima, Perú.  
Episcopus residentialis *Huancavelica*, Perú.
- 1956 22 VII Thomas Franciscus REILLY, P. Baltimorensis, USA.  
Episcopus tit. Themisonium in Phrygia Pacatiana prima, Praelatus nullius *San Juan de la Maguana*, Republica Dominicana.
- 1956 9 XI Arnoldus BOGHAERT, P. Belgica.  
Episcopus tit. Sufetule in Byzacena, Coadiutor cum successione *Roseau*, Insula Dominica, British West Indies. - 1957 4 VI successit.
- 1956 11 XII Iosephus Alfonsus TSCHERRIG, P. Helvetica.  
Episcopus tit. Nephelis in Isauria, Vicarius Apl. *Reyes*, Alto Beni, Bolivia.

### Angelus Iosephus Roncalli

#### IOANNES XXIII

Perspicuum est, de actibus erga nostram Congregationem novissimi Pontificis Maximi Ioannis XXIII adhuc non posse loqui. Continemus nos proinde de eius vita antea acta pauca quaedam breviter adnotare, inserendo, suis locis, quae de peculiari coniunctione cum sodalicio nostro comperiri potuimus.

- 1881 25 XI Dies natalicius, *Sotto il Monte*, prov. Bergamo.
- 1890-1892 In Collegio vici *Celana*, qui est « frazione » oppidi *Caprino Bergamasco*.
- 1898-1901 In Seminario episcopali Bergamo (1895 28 VI prima Tonsura; 1898 « Minores »).
- 1901 2 I - 1905 4 IV Roma, admissus in Collegio Cerasoli, pro Bergomensibus, studia perfecit in Seminario Romano, tunc apud S.um

- Apollinarem, in quo notus noster P. Franciscus Pitocchi mūnus Directoris spiritualis agebat. Alumnus Roncalli inter eos connumerabatur qui Patrem spiritualem maxime venerabantur (21).
- 1904 Roma, accipit lauream in S. Theologia.
- 1904 10 VIII die festo S. Laurentii: ordinatio sacerdotalis in ecclesia S. ae Mariae in Monte Sancto (« Piazza del Popolo »); prima Missa in vaticana basilica, in sacello apud S. um Petrum.
- 1905-1914 Bergamo: secretarius personalis episcopi Radini-Tedeschi († 1914), qui erat fulgidum exemplar propugnatoris libertatis Ecclesiae. Fungitur etiam munere Professoris Historiae ecclesiasticae, deinde Theologiae apologeticae, et demum Patrologiae; scriptor rerum historicarum.
- 1915-1918 Tempore primae conflagrationis « mundialis » servitium militare praestat, primum ut « sergente in Sanità », deinde ut « tenente cappellano militare ».
- 1919-1920 Bergamo: director spiritualis Seminarii; multiplicem explicat actuositatem in « campo sociali » quam vocant.
- 1920 15 XII Roma: apud S. Congregationem de Propaganda Fide praeficitur Officio centrali italiano Operis Fidei Propagandae; Praefectus Congregationis tunc fuit Em. mus Card. van Rossum CSSR.
- 1922 13 VI † P. is Francisci Pitocchi in collegio S. Alfonsi. Publicantur varia elogia, in quibus praecellit vox tunc Prof. Mons. Roncalli (22).  
Eodem fere tempore, minime obstantibus variis gravibusque occupationibus, sive in munere, sive in apostolatu, Professorem agit Patrologiae in Seminario Maiori Lateranensi.
- 1925-1934 Sofia, Bulgaria. - 3 III 1925 nominatur Visitator Apl. in Bulgaria, 19 III consecratio episcopalis (tit. Areopolis in Palaestina tertia) in eccl. S. Caroli *al Corso* per manus Card. Tacci, Secretarii S. Congr. Orientalis. - 1931 Fit Delegatus Apl., sub tit. archiep. Mesembria in Haemimonto.
- 1935 in. - 1944 Istanbul, Turchia. - Delegatus Apl., postea etiam pro Graecia.
- 1945-1953 Paris, Francia. Nuntius Apl. - 1 I 1945 praesentat Praesidenti reipublicae litteras concrediti muneris (23).
- 1953 12 I Elevatur ad S. Purpuram (Concistorium), et paucis post diebus nominatur Patriarcha civitatis Venezia. - 15 III ingressus in urbem (24).
- 1958 25 III Ut Legatus a Latere perficit solemnissimam consecrationem basilicae S. i Pii X in Lourdes. Quasi omnes commentarii diurni vel singulis hebdomadibus prodeuntes, imaginibus ornati, imaginem praesentant qua insimul luce expressi sunt Summus Pontifex Pius XII et Legatus a Latere Roncalli: visio certe quae mentes commovere potest.

1958 28 X die festo SS.um Apostolorum Simonis et Iudae: Angelus Iosephus Roncalli eligitur in Summum Pontificem, qui nomen sibi imposuit Ioannis XXIII (25).

Ad multos et felices annos!

N O T A E

(1) *Anal.* 18 (1939) 66-67. Notitiae in *Anal.* publicatae totum tempus iuventutis Eugenii P. complectuntur.

(2) *Anal.* 12 (1933) 134. - Vide: *Triduo solenne celebrato nella chiesa di S. Alfonso...* Roma 1933, 27-42. - Eadem oratio tamquam « extractum », pp. 18. - Cfr. DE MEULEMEESTER *Bibliogr.* III 53; versio francogallica 1939, cfr *Spic. hist.* I (1953) 265 n. 289, 290. - AG administrativum: *Diploma Oblati* vol. II, an. 1933: « Jun. 2. - Motu proprio Rev.mi P.P. Murray CSSR: Eminentissimo ac Rev.mo D.no Eugenio Card. Pacelli, Secretario di Stato di Sua Santità Pio XI. Ob peculiarem in nostram Congregationem amorem et benefacta eidem collata ».

(3) *Opere ascetiche...* I, Roma 1933, pp. IX-XI.

(4) AG Carte riguardanti S. Alfonso.

(5) *S. Alfonso II* (1940) 164.

(6) *AAS* 37 (1945) 237-239. Cfr. etiam *Anal.* 19 (1940-1947) 231-232.

(7) *AAS* 37 (1945) 202-203; *Anal.* 19 (1940-47) 132; *Anal.* 21 (1949) 2-3.

(8) *Anal.* 19 (1940-47) 181-182.

(9) *AAS* 42 (1950) 626-627; *Anal.* 22 (1950) 125-126.

(10) *AAS* 42 (1950) 595-597; *Anal.* 22 (1950) 73-80.

(11) *AAS* 42 (1950) 766.

(12) *Boletín de la Provincia Española* 4 (1953) 87-88.

(13) *Spic. hist.* I (1953) 247.

(14) *AAS* 46 (1954) 187.

(15) *Anal.* 26 (1954) 109-110.

(16) *AAS* 46 (1954) 631; A. SANTONICOLA, *La Regalità di Maria nella dottrina di S. Alfonso: Spicilegium hist.* 2 (1954) 390.

(17) CL. HENZE, *Der hl. Alfons in der Verzeichnung der Frau Ida Friederike Görres: Die Anregung, Korrespondenz- und Werkblatt für den Klerus* 8 (1956) 18.

(18) *Anal.* 27 (1955) 2-3.

(19) Cfr. *RIS Index* p. 416. - Agitur ordinarie de argumentis, quae cum CSSR nihil aliud in commune habent quam personas, i.e. sodales nostros qui de variis rebus publicationes exaratas, ut fieri solet, copiam Sommo Pontifici obtulerunt spe allecti responsionis quae ordinarie per Secretarium Status auctori pervenit. Actus est humanitatis atque ordinariae administrationis. Sic, ut allegamus unum aliudve exemplum, RP DUBOIS, Prov. S. Annae Purchriprati, pro directorio Hebdomadae sanctae epistulam obtinuit congratulatoriam, sic PIRP. SCHERZ, Viceprov. de Kopenhagen, pro ingenti suo opere (6 volumina in folio magno) quibus opera celebris episcopi et Servi Dei Nicolai Stenonis e fontibus publicavit, laudativas accepit epistulas (qui scribit haec, ipse quaedam volumina nomine auctoris personaliter obtulit Pio XII); et sic porro.

(20) Superfluum esse duximus onerare has adnotationes relativis indicationibus pro singulis nominibus quae regulariter in *AAS* habentur; etiam *Anal.* nostra de nostris Episcopis identidem notitias exhibent. Cfr etiam [P. MEERSCHAUT] *Catalogus C.S.S.R. 1955*, Lovanii 1956, 21-22.

(21) De tempore quo alumnus Roncalli in Seminario Romano degerat, varias in variis notis biographicis notitias invenimus; hoc eodem tempore servitium obligatorium militare peregit. - Inter tot tantasque descriptiones vitae Ioannis XXIII, quae his diebus per urbem Romam divulgabantur, unam solam invenimus, in qua debita memoria fiebat P.is Pitocchi, scil. in commentario diurno divulgatissimo *Il Messaggero di Roma*, diei 29 XI 1958, p. 2. - Cfr etiam notam sequentem.

(22) De P.e Francisco Pitocchi vide DE MEULEMEESTER *Bibliogr.* II 325, III: 369; A. SAMPERS, *Bio-Bibliographia: Spicilegium hist.* 5 (1957) 195.

PITOCCHI Franciscus, \* 22 IX 1852, Vico nel Lazio, prov. Frosinone, noviciatum ingressus est an. 1885, iam decennis sacerdos (ord. 22 V 1875), et professionem emisit die 8 IX eiusdem anni. A Leone XIII nominatus est Director spiritualis Seminarii Romani, an. 1899; peculiarem obtinuit benedictionem a S.o Pio X proprie manu exaratam (5 IX 1910), quam Seminarii Superiores et alumni ob vigesimum quintum annum a votis emissis grati animi causa impetraverant; et demum Pius XI, accepto nuntio obitus P.is Pitocchi († 13 VI 1922), P.i Rectori Maiori Murray « telegramma » mittere curavit, quo, commemoratis meritis defuncti « per la formazione degli alunni del suo Seminario e per la preziosa direzione di tanti sacerdoti del Clero Romano » ob eius decessum proprium participavit dolorem. Cfr *L'Osservatore Romano*, 15 VI 1922, una cum pleno elogio Patris.

Paulo post obitum P.is Francisci, uti communiter vocabatur, peculiaris fasciculus paratus est periodicis Seminarii Romani, quod *Sursum corda* inscribitur (an. 5, 1922, n° II bis, pp. 38), sub dedicatione: « In Memoria del P. Francesco Pitocchi / Pontificio Seminario Romano Maggiore ». In hoc fasciculo multissimi ex Cardinalibus, Episcopis, sacerdotibus aliisque, qui P.em Franciscum ducem spiritus habuere, collatis elogiis et memoriis, laudationem religiosi defuncti plenissimam congesserunt. Ex hoc opusculo, quod hodie vix reperiri potest, sodalis noster RP R. MEZZANOTTE, an. 1938 in biographia, quam de P.e Pitocchi concinnabat, innumera excerpterat loca eorum qui de laudato Patre scripserunt. Titulus huius libri hic est: *Un Direttore di Spirito. P. Francesco Pitocchi, Redentorista. Note biografiche* (Cortona 1938, pp. 222). Age ergo: inter testes ex opusculo *Sursum corda* adductos nullus alius toties comparat quam tunc Professor Angelus Roncalli; septies enim vices eius vox allegatur. Et hoc facile intellegitur: scripserat enim octo plenas paginas, seu multo plures quam ceterorum laudatorum quisquam; easque manifesto omnino cordis affectu, ita ut nemo miretur observans Angelum Roncalli, qui, simplex alumnus Seminarii, virum Dei per duos annos (1902-1904) directorem animae suae habuit, adeo eum veneratione persecutum esse, ut posteris quoque annis, data occasione, ad eum libenter reversus sit, ac, rursus in Urbe fixus, ab an. 1921, iterum P.em Franciscum arbitrum inter se et Deum esse maluerit.

Liceat nobis ipsa verba tunc Illustrissimi « Monsignore » Roncalli adducere (*Sursum Corda* 35-36):

Uguale espansione di bontà trovavo sempre le non poche volte che tornavo da Bergamo a Roma, accompagnando il mio Vescovo Mons. Radini-Tedeschi di v.m., e mi era bisogno del cuore correre subito a S. Gioacchino, al Monterone, o a S. Alfonso a ricercare il mio caro Padre e confidargli gioie, preoccupazioni, vicende varie di vita, a riceverne consigli, incoraggiamenti, conforti. Era lieto di sentirsi ricordare anche lontano, nei luoghi più santi e venerandi, dove mi accade di recarmi, in Italia e fuori, di avere notizie degli antichi alunni Bergamaschi che con me godevano della sua direzione spirituale, di essere messo a parte dei frutti, per quanti modesti, della mia, della nostra attività. Il passar del tempo non rallentò punto le manifestazioni di bontà per i suoi figli. Dopo quasi quattro lustri egli rimaneva come nel primo giorno: e quando in questi ultimi due anni, per disposizione della Provvidenza potei ritornare fra le sue braccia e riprendere il corso delle più frequenti e continue comunicazioni spirituali, trovai presso il suo cuore lo stesso calore apostolico della prima ora, nel suo tratto l'antica amabilità, divenuta più cara e veneranda per quell'aureola di santità e di sacrificio.

Notum est porro, Angelum Roncalli, ad dignitatem episcopalem evectum, de more hanc sibi elegisse sententiam: *Oboedientia et pax*, quasi dixisset: *per oboedientiam ad pacem; vel oboedientia parit pacem*. Huius sententiae respectu memoriae dignum nobis esse videtur, quod nominatus P. Mezzanotte in memorato libro circa oboedientiam narrat, adducens iterum testem Roncalli (*Sursum Corda* 37-38):

Un episodio circa l'obbedienza, ce lo racconta Mons. Roncalli. Nel trattamento settimanale dopo la discussione di un caso di morale, si recitava da un seminarista un fervorino. Un giorno, essendo venuto meno l'incaricato, dovette egli stesso sostituirlo, benché un po' riluttante e dopo molte insistenze. « Non sapendo qual cosa dire di mio — scrive — e sembrandomi pretesa l'improvvisare, ripetei con semplicità il capo XXIII, libro III dell'Imitazione di Cristo: *De quattuor magnam importantibus pacem*, aggiungendovi alcune brevi parole di commento: Dottrina celeste, chi non la ricorda? 1. Stude, fili, alterius potius facere voluntatem quam tuam; 2. Elige semper minus, quam plus habere; 3. Quaere semper inferiorem locum, et omnibus subesse; 4. Opta semper et ora, ut voluntas Dei integre in te fiat. E poiché in quei giorni io mi stavo deliziosamente immerso nella lettura della vita di



S. Francesco, trovai non so qual passaggio a dire di questi, chiudendo con l'episodio di Fra Leone che sulla Verna, quando il Poverello si levava in estasi, correva a prendergli e a baciargli i piedi piangendo e ripetendo: Dio mio, abbi misericordia di me peccatore, e, per i meriti di questo santo uomo, fammi ritrovare la grazia tua. Ho ancora negli occhi il sorriso di P. Francesco nel compiacersi della felice scelta del soggetto e dell'esempio: « Vedi — mi disse — come l'obbedienza ti hai aiutato? Obbidisci sempre, con semplicità e con bontà: e lascia fare al Signor. E' lui che parla ai cuori ». Alla distanza di 18 anni ripenso, con emozione che non so contenere, alla bontà di quella dottrina del piccolo libro antico: guardando nella quale, P. Francesco dovette riconoscere come in uno specchio, la parte sostanziale e più caratteristica dei suoi insegnamenti spirituali: e mi sento rinnovare nel cuore il desiderio, fatto più maturo dalla esperienza, di viverla più intensamente per godere anche quaggiù la dolcezza della vera pace ».

Ex his verbis sententia Angeli Roncalli, Episcopi, Cardinalis, Papae: *Oboedientia et pax*, suave accipit lumen quod, forsitan, ex paupere cellula P. is Francisci Pitocchi primum illuxit.

(23) Recordantur libenter PP. nostri Parisienses, quam amabiliter Nuntius Apl. domum nostram Parisiensem visitaverit, vel prandium nobiscum diviserit.

(24) Cum usus ferret, in Venezia dies recollectionis mensilis cleri urbani celebrare in ecclesia et domo nostra, saepius quoque Em.us Patriarcha intervenit, semperque PP. bus nostris benevolentiam suam monstravit, nec raro unum eorum conscientiae moderatorem adhibuit.

(25) Multissimi actorum diurnorum vel periodicorum scriptores notaverunt numeros progredientes quibus significare voluerunt, *quoti* in serie Summorum Pontificum Pius XII et Ioannes XXIII essent. De hac re sedulo notandum est, historice impossibile esse exactos numeros indicare eorum, qui percursu temporum Papae « legitimi » fuerunt, cum de aliquibus certitudo historica legitimitatis vix poterit in tuto collocari. Hac ducti ratione, directores libri *Annuario Pontificio* (libri a S.a Sede ex officio compilati) inde ab an. 1947 omiserunt, Summos Pontifices numeris progredientibus numerare. Vide etiam P.A. FRUTAZ, *Papa: Enciclopedia cattolica* IX (Città del Vaticano [1952]) 756-765.

Interim prodit biographia Ioannis XXIII, auctore Andrea LAZZARINI, *Giovanni XXIII, Angelo Giuseppe Roncalli*, Roma 1958. Director domus editorialis Herder, Romae, cui scribit dixit, ipsum Summum Pontificem plagulas libri vidisse.